



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

De Visitatione Venerabilis Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Credo in te, ô Suprema Veritas!
 Spero in te, ô æterna Felicitas!
 Amo te, ô infinita Bonitas!
 Reverëor te, ô altissima Potestas!
 Adoro te, ô immensa Majestas!
 Gratias ago, ô summa Liberalitas.

Subjunge Oratiunculam S. Ignatio olim familiarem: Anima Christi sanctifica me. &c.

IX. Sub Benedictione Sacerdotis, velut à Christo in cœlum conscendente reverenter Benedictionem accipe. Ex sub Evangelio S. Joannis pro Beneficio Incarnationis gratias age, cor tuum ad Christum excipiendum offer, lumen à Luce Mundi ad tenebras tuas dissipandas pete, rediturum suo tempore Judicem time, & gloriam eius quasi Unigeniti à Patre, te aliquando visurum spera.

DE VISITATIONE Venerabilis Sacramenti.

I. Laudabilissima consuetudo Venerabile Sacramentum subinde interdum visitandi, præclarum est inter alia medium, magnam cum Deo familiaritatem consequenti

quod; ut experti D. Thomas Aquinas,
S. Franciscus Xaverius, S. Franciscus
Borgia, B. Aloysius aliique Sancti quam
clarissimi.

II. Sunt quoque huiusmodi visitationes
& officiosae salutationes, contestationes ho-
noris & amoris erga Christum Regem a-
mabilissimum & liberalissimum: amantes
enim libenter sunt simul, libenter invicem
alloquuntur, seseque mutuò visitant. Un-
de si Christum ames, eum quandoque per
diem visita, alloquere, saluta, obsequia of-
fer, necessitates propone, gratiam posce, pro
beneficiis gratias age, praesertim commu-
nitione postrema, & pro proximè sequente
dignius adeundâ auxilium exora. Toto
die Rex tuus & amicus integerrimus te
expectat, humaniterque invitatur: Venite
ad me omnes qui laboratis & onerati estis,
& ego reficiam vos. Matth. 11. Tuque ve-
nire recuses? quanta inurbanitas?

III. Proinde si opportunitas ferat, tem-
plum adi; si occasio desit, vultum & cor
ad SS. Eucharistiam dirige, & sequentes
salutationes incerta diei tempora divide.

SEPTEM